





*Seite 325 ohne Kustoden!*  
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA

(22) 39  
XIX.  
1728.  
86

DE  
**FINIBVS,**

QVAM  
**ANNVENTE AMPLISSIMO ICTORVM  
ORDINE**

IN ALMA ET PER-ANTIQA ERFFVRTHENSI  
ACADEMIA

EIVSDEMQUE

AVDITORIO COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS  
DIE XXX. APRILIS ANNO M DCC XXVIII.

**PRO GRADV DOCTORALI**

ET SVMMIS IN VTROQUE JURE HONORIBVS AC PRI-  
VILEGIIS MORE MAJORVM LEGITIME CONSE-  
QVENDIS

PVBLICE DEFENDET

**CHRISTIAN. CAROLVS OTTO,**

*Mühltröpö Variscus,*

ADVOC. SAXON. ET NOT. PVBL. CÆS.

ERFORDIÆ,

Litteris GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

(2)

DISSERTATIO INNOVATIONIS JURIDICAE

DE

# FINIBVS

QVAM

AVVENIENTE AMPLISSIMO PCTORUM

ORDINE

IN ALMA ET PER-ANTIOVA ERFFERTHENSIS

ACADEMIA

DISSEMOVE

AVDITORIO COLLEGI MAIORIS HONIS CONSVETIS

DIE XXV APRILIS MDCCXXIII

PRO GRADV DOCTORALI

ET SVMMIS IN VNIVERSITATE PURE HONORIBVS AC TRI

ALLEGIS MORE MAIORVM LEGITIME CONSE

QVOD

AVTHORITATE

CHRISTIANI CAROLVS OTTO

AVTHOR

AVDITORE AVDITORE AVDITORE

AVDITORE

AVDITORE AVDITORE AVDITORE





J. N. D. N. J. C.

## PROÆMIUM.



Qvod firmo stet talo prover-  
bium Germanorum notum:  
In verbothenen Teichen fische  
man am liebsten / innume-  
rabiles plane controversiæ,  
quæ emergunt quotidie de  
finium turbatione, sat clare loquuntur. Quan-  
quam enim non Finium constitutor, *Numen Al-*  
*tissimum*, tantum, sed legislator quoque civilis  
in legibus tam divinis quam humanis jusserit, ter-  
minos agrorum confinium relinquere immo-  
ros, ideoque severissimas in finium violatores  
statuerit pœnas; aliena tamen invadendi & ad  
se rapiendi perversa hominum cupiditas tali-  
bus

bus se constringi vinculis haudquaquam patitur, sed, minima etiam affulgente occasione erumpit foras, vicinorum fines & loca venditat pro suis, sicque ad controversiam movendam, deque læsione, sibi illata, querendi vicino præbet ansam. Commotus ergo tam multis de finibus quotidie ortis querimoniis, arrisit mihi, legitimos in Jure ambienti honores, eaque propter profectuum meorum edituro specimen, non injucundum de FINIBVS argumentum. Etenim agere de materia subtili atque intricata, & in quam nullus unquam ne verbulum quidem est commentatus, nunquam vero, vel saltem rarissime in foro obveniente, plurimum valentes quidem requirit humeros, sed, quia nullus illius adest usus, comparandum ejusmodi tractatum existimo auro, manibus artificis ad similitudinem panis, aliorumve esculentorum efformato, quod oculos quidem exhilarat, sed stomachus latrans, talem recusans, alium ex frumento confectum desiderat panem. Sed ne prolixa mea præfatione peccem in *Te B. L.* transitum statim sine ullis ulterioribus ambagibus, non curata *Tua, Mome*, invidia, quippe quæ

❁ ( 5 ) ❁

quæ stimulos mihi addet quotidie, amplius mihi invidendi, Tibi præbere occasionem, ad ipsam nostram de FINIBVS tractationem faciam.

## CAP. I.

### DE FINIVM SANCTITATE.

#### §. I.

**T**Ermini sancte tuendi sunt. Non Divini solum, sed humani quoque Juris regula merito habetur. Nam sacras evolvas, quæso! litteras, legas, perlegas, hinc inde inuenies, quod divinam jactare FINES originem, ALTISSIMVMQVE NVMEN pro Auctore suo, jure optimo laudare queant. Aspice paululum *Genium Apostolum*, deprehendes huncce ad *Populum Articum* sic loquentem: *Deus fecit ex uno sanguine omne genus hominum, ut inhabitaret super universam faciem terræ, definiens statuta tempora & terminos habitationis eorum Actor XVII. 26.* Et regressum si facias ad *Deuteron. XXXII. 8.* verbis clarissimis ibidem MOSES tibi adclamabit: *Dividens Jehova Genes, filiosque Adami separans, constituit populorum terminos.* Quis ergo, sic sese rebus habentibus, non statim duabus amplectetur manibus effatum *HYGENI lib. de Const. lim. pr.* Inter omnes mensurarum ritus sive actus eminentissima traditur limitum constitutio. Est enim illi origo Cælestis.

§. II.

Sed nequaquam hisce contentus limitum Autor, Deus, severissime non tantum, ne quis transferre terminos aut tollere audeat, jubet, sed gravissimas quoque in finium turbatores constituit poenas. Sic enim MOSES *Deut. XIX. 14.* *Ne sis violator vicini tui finium, quos constituere parentes tui in parte tua hereditaria.* Sic *Proverbiorum XXII. 28.* ait REGVM SAPIENTISSIMVS, & SAPIENTVM REX: *ne transferas antiquos fines, quos possuit tuus pater.* Et quis tam ferox, cui non maximum incutiant terrorem verba *Deuteron. XXVII. 17.* posita, quæ germanicis verbis apponere libet: Verflucht sey/ wer seines Nächsten Gränge engert/ und alles Volk soll sagen/ Amen!

§. III.

Si porro genuinum & verum juris naturalis habetur principium, socialitas, uti hodie & antiquioribus temporibus plerique juris naturæ statuerunt Interpretes, socialitas vero per nihil magis conservatur, quam si suum cuique tribuatur, nemoque lædatur: Solis micat radiis clarius, quod ex lege societatis ad tuendam inter cives æqualitatem, fines cujusque salvi immotique sint linquendi, turbatique omni modo restituendi.

§. IV.

Deinde, si bellum ob turbatos à vicinis fines, ab omni statim populo decernitur; si armis opus, non arbitris, quando vicinus populus vicini limites tantum modo armatus, aut cum multitudine, licentia antea non petita, transcendit; si bellum istud habetur justum, quid quod iustissimum: facillime quilibet animad-



advertit, ex gentium quoque jure sanctos fines, san-  
ctaque illos esse tuendos.

§. V.  
Quod denique attinet jus Civile Romanum, ex an-  
tiquissimis iam temporibus de REGE NUMA POMPI-  
LIO notum, quod unumquemque jufferit, agrum su-  
um circumscribere, ac in finibus statuere lapides; hos  
sacros esse JOVI TERMINALI voluit, jussitque, ut  
quotannis stato die res divina in coetu paganorum fie-  
ret, instituto solenni festo in honorem Deorum, qui  
Terminis tutelares praesiderent, quæ Terminalia voca-  
runt, sicut lapides ipsos, Terminos, quos si transferre  
quis ausus, aut tollere, lege terminali caput ejus his  
Diis devovit, uti patet ex DION. HALIC. l. 2. A. R. Ut  
jam alias poenas in limitum turbatores constitutas, ali-  
asque præclarissimas constitutiones, à Romanis con-  
ditas, ex quibus elucescit, maxime semper illis fuisse  
fines curæ taceam, & alio tempore attingam.

§. VI.  
Nec nostri tandem *Allemanni* omnem quondam  
Terminorum exuerunt curam. Nam notum in *Cen-  
renicis olim Ordinationibus* caput scienter Terminorum  
motoris aratro desultatum esse, hisce verbis:  
Wo einer Marksteine ausgräbet / den soll man in die Erde  
graben / bis an den Hals / und soll dann nehmen 4. Pferde  
die des Aekern nicht gewohnet sind / und einen Pflug / der  
neu ist, und solten die Pferde nicht mehr gezogen / und der  
Encke / id est, Agaso, nicht mehr gahren / noch der Pflug-  
halter nicht mehr den Pflug gehalten haben / und ihme nach  
dem Halse ähren / bis so lange er ihme den Hals abgeähret  
hat.

hat. JAC. SPEVD. in suo spec. S. Marckstein / 49. & KNICH. Tract. de sublim. territ. jur. num. 285. Et quam SAXONES non tam severe in terminorum turbatores animadvertunt, capiteve illos plectunt: tamen non omnem omnino poenam negligunt, finiumve violatores impunitos relinquunt, uti infra videbimus. Optandum tantummodo, hanc salutariter constitutionibus sancitam poenam in omnes sine discrimine statui, sed querendum plerumque & hic:  
 - - - Petiit coelos, terras *Astraea* reliquit.

## CAP. II.

### DE DEFINITIONE ET DIVISIONE FINIVM.

#### §. I.

**F**ines sunt linea, semita, spatiumve, quantum inter confines agros fundosque relinqui legislator civilis voluit; eo etiam fine, ut iter ad culturas accedentium pateat, & circumactus aratri locum habeat, ut AGGENVS URBICVS explicat. Et hujusmodi spatium LIMES INCLVSVS, itemque GRADVS dicitur, *L. pen. C. fin. reg. nostratibus der Rhein* / estque ex lege XII. *Tabularum* quinque pedum geometricorum oder 3. und eine halbe Leipziger Elle. Cui & ex lege *Mamilia* adstipulatur AGGENVS URBICVS *Comment. in Frontin. de limit. agror. de Fine*, inquit, *Lex Mamilia* quinque aut sex pedum latitudinem prescribit. Quoniam hanc latitudinem vel iter ad culturas accedentium occupat, vel circumactus aratri, quod usucapi non potest &c.

#### §. II.

§. II.

Et hujus quinque pedum spatii tam æterna est auctoritas, ut, si limes adsit certus, præscriptionis sive usucapionis exceptio contra opponi nequaquam queat. *L. 5. C. fin. reg.* aliter vero se res habet cum limite incerto, aut fundo nondum limitato, qui usucapî utique potest. *L. 2. §. 6. ff. pro emt.* Sic, Titius, instituta contra Cajum actione finium regundorum, petit, fines fundi sui & vicini regi. Cajus opponit exceptionem limitis certi. Judex, cognoscens de possessione momentanea, quæ cum deprehendatur penes Titium, prohibetur quidem interim Cajus, mittuntur tamen mentores, qui de finium judicent certitudine. Hi limitem certum esse referentes, replicat Actor Præscriptionis exceptione, sed reus duplicat: limitem adesse certum, qui nunquam præscribi queat. Et quidem recte, uti ex antea allegata *Lege 5. C. fin. reg.* patet.

§. III.

Aliter judicandum de longissimi temporis præscriptione, ob odium, quod in legibus incuria & negligentia meretur domini. In qua re & *Glossa Juris Provinc. Sax. l. 2. §. 50.* mihi adstipulatur, ubi, nec perperam, exceptionem præscriptionis tricennalis contra actionem finium regundorum foro nostro accommodavit.

§. IV.

Quod Jus attinet Saxonicum, moribus nostris quinque pedum terminus præcisè quidem non observatur, tantum tamen requiritur spatium, quod ad circumactum sufficit aratri, daß man einen Pflug mag um-

B wen

wenden. Si ergo alter sepem vel plantam, nullo relicto spatio ad circumactum, agro suo vult præfigere, damno afficit vicinum, prohibetque contra omnem æquitatem naturæ & rei rusticæ leges, ne is re sua, uti leges permittunt, frui integra possit. Quapropter, actione instituta, tenetur ad impedimentum illud tollendum, damnum datum resarciendum expensasque vicino restituendas.

Sciendum, illud observari Legibus Romanis, quod ad Exemplum illius legis scriptum est, quam Athenis SOLONEM dicitur tulisse: *Εάν τις ἀπόστον παρ' ἀλλοτρίου χωρίου ἐτίθει* &c. *Si quis sepem ad alienum prædium fixerit, infoderitque, terminum ne excedito. Si maceritiam, pedem relinquito. Si vero domum, pedes duos. Si sepulchrum aut scrobem foderit, quantum profunditatis habuerit, tantum spatii relinquito. Si puteum, passus latitudinem. At vero oleam, aut ficum, ab alieno ad novem pedes plantato. Cæteras arbores ad pedes quinque. L. fin. ff. fin. reg.*

§. VI.

Differentiæ spatiorum finalium ratio facillime quidem reddi possit: sed ne simus prolixiores, quid hac in parte nostro obtineat *Jure Saxonico* paucis, videbimus. Invenimus vero, *Weichbild. Art. CXXII.* Si evolvamus, quod ibidem sit sancitum: *Backöfen/ Heimlichkeiten, und Schweinkoben/ sollen drey Füsse von dem Zaun stehen.*

§. VII.

Fingamus Casum: Johannes in suo quidem fundo, sed vix pedem unicum à fundo Caroli furnum haber

bet positum, &, mota à Carolo actione, excipit non tantum, quod liceat cuique in suo ædificare ad suam utilitatem, licet alteri per consequentiam noceatur, nec tali casu damnum datum exstimari posse ea in re, in qua quis jure suo utitur. *L. 24. § L. 26. ff. de damnno inf.* sed etiam, quod per decem aut viginti annos continua ferie sine ulla turbatione immotus hoc in loco steterit furnus, præscriptionem igitur pro se allegare queat. Rebus sic se habentibus, in cujus hoc in casu transeamus partes, quæritur? Ut pro Carolo decidamus, si longissimi non adsit temporis præscriptio, terminusque ipse non litigiosus, & supra allegata lex ex *Weichb. Arr. CXXII.* & quod limes certus usucapione acquiri nequeat, facit.

§. VIII.

Excipitur ab hætenus dictis, ne quis nempe agrum planca circumdare possit, ager, qui jure horti, Garten-Recht haben/ ex speciali concessione splendet, sicque de omnibus privilegiis, quibus hortus præditus, participat. Hortorum privilegia hoc in casu aut vicinum concernunt præprimis, aut alios. Vicinum quod attingit, ille, qui jus horti habet, ne unius quidem pedis spatium ad circumactum aratri relicto, sepem vel plancam agro suo præfigere potest. Nam si spatium in legibus præscriptum relinquat, nullo, quoad vicinum, jure horti opus. Quoad alios, in signe præprimis est privilegium, quod nemini ullo tempore pascendi jus concedere talis teneatur, vid. *OTTING. de jur. lim. l. 1. c. 10. num. 11.* Welche Felber Gart. Recht haben/ die darff man zu keiner Zeit mit dem Trieb und Weyd besuchen/ weil sie

ſie geſchloſſene Güter ſind; & alia, quæ recenſere, ne ſimus nimis prolixi, nolumus.

§. IX.

Non ſilentio hic prætermittenda ſunt verba: *limites, termini & loca*. Nam *limites* competunt proprie non privatorum, ſed Regnorum Principatuumve tantummodo finibus, quod præprimis patet ex ſequentibus epithetis: *limitanei exercitus*. *Duces limitanei*. *Limitropi fundi*, ex quibus annonæ militi *limitaneo* assignatæ, vid. *Tit. Cod. de fund. limit.* quanquam uſum huius vocis utriſque communem plerumque inveniã. Non aliter ſe habet res cum verbo: *Grängen*. Cum enim de *Grängen* contentio eſt, & juribus inde dependentibus, proprie loquendo non inter privatos, ſed ipſos dominos res agitur *GLM. t. 2. Sympb. Parr. 1. fol. 123. n. 28.* ſed ſi vulgarem & improprium loquendi modum reſpiciamus, deprehendemus, etiam de privatorum finibus vocabulum hocce uſurpari, wie man denn inſgemein ſaget: *Meine Gränge gehet biß da oder dorthin.*

§. X.

*Loca* dicuntur, quicquid extra finale ſpatium de vicini agro ac poſſeſſione in controverſiam venit. Et quoties hoc accidit, non cauſa mere finalis, ſed & proprietatis eſt. *L. 3. C. ſin. Reg.* & proinde rei vindicatio inſtituenda. Dabo caſum: Controverſia inter *Sejum* & *Pomponium* de locis ſeu de fundo ultra v. g. quinque pedum ſpatium orta, *Pomponius* præſcriptionis opponit exceptionem. Quæritur, an hæcce inveniã locum? Quod affirmatur, partim ex *L. pen. C. Fin. reg. quinque pedum præſcriptione ſummota finalis iurgii vel loco-*  
rum

*rum libera peragatur intentio, ut nempe litis ingressum progressumve non impediatur exceptio Terminorum, sed contra replicari de longa possessione aut præscriptione recte possit. Partim ex L. 2. §. 6. ff. pro emt. si fundus emtus sit & ampliores fines possessi sint, totum longo tempore capi, quoniam universitas ejus possideatur, non singule partes.*

## §. XI.

Termini tandem sunt lapides illi, qui eriguntur, s. alia signa, annotata in finibus, ut eo facilius cognosci queat, quam late se vicini cujusque fundus extendat. Dixi: aut alia signa. Nam quadruplicem limites constituendi modum apud Romanos observavit LAZIVS L. 1. Comment. Reip. Rom. c. 2. fiebant nempe aut *saxis Gräns: Marck: Triff: Fluß: Gerichts: Steine / aut stipitibus, Leg: Wahl: Bäume / aut muro lapideo, aut fluviis, addo moribus nostris aut fossis, Feld: Graben.* Saxa quod attinet, & arbores, cruce plerumque signantur, & Saxis apponuntur Zeugen / Eyer oder Gemerck, welches sind entweder kleine Steingen / Eyerschaalen / Schlack / oder auch Glas. Casum proponam: Ipse annotavi quondam, quod senex quidam, posturus cum vicino suo terminos novos, juveni cuidam, quem ducebat secum ad illos fines maximam infixit alapam, hæc adjiciens verba: Diese Maulschelle gebe ich dir deswegen / daß du dich der Reinnung nach meinem Tode desto besser erinnern mdest. Quæritur, an injuriarum actione contra hunc senem juvenis, qui nec filius erat senis, nec consanguineus, experiri queat? Quia essentielle injuriarum deficit, nempe injuriandi animus, pro negantium non immerito isto partibus.

§. XII.

Posui in Finium definitione §. 1. *Spatium, quantum inter confines agros fundosque relinqui legislator civilis voluit &c.* ex quibus verbis patet, posse hanc definitionem imprimis tantummodo applicari ad prædia rustica, cum ædificiorum urbanorum structura hodie fere sit contigua, raroque certa relinquuntur interstitia, id quod Romanis solenne fuit. Dari tamen quotidie posse casus, & revera dari, ubi firmo stat talo hæc definitio in prædiis quoque urbanis, nullus dubito.

§. XIII.

Dividuntur FINES aut in natura, aut in arte factos. *Natura facti fines* sunt, quibus natura sine hominum opera & labore, vicinorum fundos, sive territoria, à se invicem separavit v. g. fluvii; & tales territoria secernentes fluvii plerumque sunt communes, ususque eorum utrisque patet. *Arte facti* sunt, quos ad fines secernendos ipsi homines, non natura, inter se constituere, v. g. lapides, fossæ, &c. Quo loco obiter quoad fossas monendum venit, quod ille præsumatur dominus, an dessen Seiten die Auflage/sive der Aufwurff eines Grabens ist. Sic respondit F. Wittenb. Mens. Maj. 1711. ut BERGER. in Oecon. Jur. pag. 724. adducit.

§. XIV.

Deinde FINES aut publici sunt, aut privati. vid. DION. HALIC. l. 2. A. R. qui de Numa Rege sic scribit: nec de privatorum tantum agris hoc jus sanxit, verum etiam de publicis, hos quoque certis complexus finibus, ut Romanum agrum à vicinarum urbium agris terminales Dii secernerent, & privatum à publico.

§. XV.



§. XV.

Publici iterum sunt, vel territoriales, Land-Grängen/  
Land-Wehr/ Gräng-Steine/ Land-Steine/ vel Jurisdictiona-  
les, Gerichts-Steine/ vel compascuales, Triff- und Fluhr-  
Grängen/ quorum insigne solet esse caput bovinum, sed  
territoriales pariter ac Jurisdictionales insignia domini  
territoralis & Jurisdictionalis in lapidibus positis præ-  
ferunt. Consultius tamen, ut fines Jurisdictionis suis  
sibi propriis discernantur signis, quoniam quandoque  
alius est dominus jurisdictionis, alius territorii. Cau-  
telam quoque OETTING. de jur. lim. lib. 1. c. 17. præ-  
scribit: ne scilicet si quando princeps vicinus in vicini  
Principis aut Reipublicæ territorio bona privata possi-  
det, fines eorum insignibus Principalibus signentur, sal-  
tem, ne integris & solennibus, verum ohne Schild und  
Wappen, mit blossen Zeichen oder Nahmen/ ad evitandam  
controversiam, quæ a Principe, præsertim bellicoso, fa-  
cillime postea moveri potest.

§. XVI.

Notandum quoque hic vocabulum *Markt*, quod  
idem significat, quod *limes*, uti testatur RVDOLPHVS  
von Embß, in paraphrasi veteris testamenti, quam BI-  
BLIANDRO teste nunc ante annos fere sexcentos con-  
scripsit :

Dis Lands Markt vohet an  
In den Gebürg an Caucasas,  
Die ander Sunder Marche was/  
Das rothe Meer/ dar gat sein Strich/  
Und scheidet in der Marche sich.

Et derivantur ab hocce Marggrafen, i. e. Ducis vel  
Comi-

Comites limitanei. Quando vero *Markt* denotat pagum, in qua etiam significatione notum, originem illi debet verbum *Marksteden*. Si positum alicubi inveniatur: in der *Stadt Markung*, accipienda sunt hæc verba pro ipsis agris, vineis, pascuis, &c. in die *Stadt gehdrig* / sine Jurisdictionis qualitate, so weit *Acker* / *Wiesen* / *Feld* / *Weyd* / und *Huth* gehet.

## §. XVII.

Quoad fines Jurisdictionales, nemo per illos potest v. g. captivum, occisi hominis cadaver &c. inconsulto domino, sine turbatae jurisdictionis crimine perducere, sed prius jurisdictionis illius ut requirat dominum, clarissimisque declaret verbis: *Dass es ihn an seiner Gerichtsbarkeit solle unschädlich seyn* / und *dass man ihm bey vorfallender Gelegenheit wiederum dergleichen verstaten wolle* / necesse est.

## §. XVIII.

Differunt à se invicem *Weichbild* & *Fluhr*, quam promiscue à nonnullis usurpentur. Nam *Weichbild* continetur terminis oppidi, sive vici; *Fluhr* vero denotat districtum, intra quem agricolæ sive villani, *Dorffschafften* / sua exercent jura. Ratio denominationis *Weichbild* WEHNERO *Observ. Pract. voc. Weichbild*, esse videtur. Diemil man bey einem solchen *Bild* gleichwie heutiges Tages bey den *Marktsteinen* wieder zurücke weichen muß, und einem andern nicht weiter in sein *Gebiet* greiffen darff. Alii vero vocem *Weichbild* derivant à *Weich*, quod denotat *Vicum* & *Bild* / *Statua*, quia solitum olim fuit, in finibus vici poni ligneam crucem, cui imposita manus & gladius, in signum  
der

der Gerichte über Hals und Hand / uti WEHN. l. c. ex Weichbild Arr. 9. in glossa colum. 2. adducit. Sed alii contendunt, neque vocabulum Weichbild, neque vocem Fluht per se inferre jurisdictionem, sed illud quidem jura municipii, hoc vero jura communitatis paganæ seu villanæ, inter quæ præcipuum jus publici pacis, quo fiat, ut coincident tere Fluht und Triffte Steine vid. ÖTTING. de Jur. Lim. l. 1. c. 8. n. 12. § c. 17. 35.

§. XIX.

Dantur & aliæ Finium publicorum species, uti sunt *fines venationum*, Jagd-Gränzen; *juris lignandi*, Forst-Steine/ *fines decimarum*, Zehend-Gränzen/ Zehend-Stein &c. Sed quia hæcenus dicta in tantum excrevere ut metuerem merito queamus, ne prolixitate nostra lectoribus creemus tædium, de hisce plura verba facere nolumus, sed paucissimis tantum adhuc FINIUM PRIVATIS, quod nempe hi agros vicini à privatis vicinis sejungant, Güter-Steine, Scheid-Steine, descriptis, progressum cum Deo Clementissimo faciemus ad

CAP. III.

DE FINIUM CONSERVATIONE ET ANTIQVORVM PROBATIONE.

§. I.

**Q**UAM solliciti in finium conservatione se gesserint Romani, ostendunt imprimis eorum Tabulæ, quas vocarunt formas, eæque æreæ, in quas non nuda possessorum vicinorumque nomina, sed & mensuras ipsas & signa, atque

C

que ordines locorum describere, vid. HYGEN. de Lim. const. ubi pag. 199. sic agit *Primum assignare agrum circa extremitatem oportet, ut à possessoribus velut terminis fines obtineantur, ex eo interiores pertica partes. Si qua compascua aut sylva fundis concessa fuerint, quo jure data sint, formis inferemus.*

## §. II.

*Nostratibus vocantur tales tabule agrarie, quibus mensuræ, signa & ordines locorum, nominaque possessorum describuntur, Fluhr-Register, Fluhr-Be-schreibungen, & LIBRI CENSALES, ex illis concinnati, Erb- und Saal-Bücher.* Sed si scapham scapham appellare volumus, in plerisque nostris judiciis, prohi dolor! ne nomen quidem derer Fluhr-Register est notum, &, quanquam tales adsint, Oedipo tamen certe opus, qui ænigmata, quæ in illis reperiuntur, solvat.

## §. III.

Sed quam miserum sit, à Romanis mutuari quidem leges, sicque nuda verba, prudentiam vero & instituta civilia, quibus eas & invenerunt, ac salutariter tum Reip. tum privatorum negotiis adhibuerunt, negligere, sicque pro Junone capere nubem, damnum gravissimum, ex harum rerum ignorantia Republicæ singulisque hujus membris quotidie datum, sat clare loquitur.

## §. IV.

*Saal-Bücher* ita vocantur à *Sala* h. e. aula, seu Basilica, & quidem hanc ob causam; quod in eo prædia, quæ aulæ regiae censum præstant, sint inscripta.  
Sunt

Sunt igitur Erb-Register oder Saal-Bücher libri, qui ex Fluhr-Beschreibungen confecti, praestationes & servitia, quae subditi debent Principi aut Nobili, propter fundos possessos, continent. Probant tales libri censuales contra subditos tum demum plene, quando illi confecti esse demonstrantur rusticis sigillatim sive viritim convocatis, iisque consentientibus, per modum conventionis, inter eos & dominum iurisdicte inita. Quod si fuerit omissum, nihilofecius ea, quae rem circumstant momenta, imprimis antiquitas temporis, iurijurando vel suppletorio vel purgatorio locum dare possunt.

§. V.

Alterum ad finium conservationem conducentem modum nobis patefacit DION. HALIC. l. 2. A. R. qui de NUMA POMPILIO REGE ita scribit: Cum unam quemque iussisset agrum suum circumscribere, ac in finibus statuere lapides, hos sacros esse Jovi Terminali voluit, iussuque ut quotannis stato die res divina in caetu paganorum fieret, instituto solenni festo in honorem Deorum, qui terminis tutelares praesiderent, quae terminalia vocarunt, & lapides ipsos terminos &c. Ex verbis huius sole meridiano clarius elucescit, REGEM NUMAM constituisse, ut rustici quotannis, cum agrimensorebus agrorum terminos circumire & inspicere debeant.

§. VI.

Quod Agrimensores interfuerint, ex verbo Germanico: Umgänger/ quod item significat, ac Agrimensorem, patet. WEHN. Observat. voce Umgänger. Sicque ratio denominationis Umgänger in eo consistit, uti

WEHN. *l. c.* EX SICHARD. *ad L. 3. n. 4. C. fin. reg. RO-*  
*LAND. Part. 2. lib. 6. c. 5. n. 8. f. 253.* & aliis indicat,  
 nosque in nostra opinione confirmat, quod agrimen-  
 fores cum rusticis horum terminos circumire & in-  
 spicere soliti fuerint. A qua voce diversum est voca-  
 bulum: Untergänger / quo nomine Judices, qui coetui  
 illi interfuere, veniunt *BOC. Class. 5. Disp. 23. thes. 123.*  
*lit. D. f. 31. & Th. 84. fol. 21.*

§. VII.

Ex qua NUMÆ POMPILII Constitutione videtur  
 ortum habere, quod adhuc hodie sint, qui certo  
 quotannis die, solenniter agrorum terminos circum-  
 eant. Qualis terminorum quotannis in Judicis præ-  
 fertim præsentia instituenda visitatio, multas lites im-  
 pedire possit.

§. VIII.

Probationem quod concernit, hæc est actus  
 judicialis, quo litigantes de facto controverso Judici  
 fidem faciunt. *WESENB. ad Tit. ff. de prob. & præf.*  
*num. 3.* & dividitur, ratione modi, in artificialem & in-  
 artificialem. *Artificialis* fit per præsumptiones & con-  
 jecturas. *Inartificialis*, aut per testes, aut per instru-  
 menta aut per juramentum, aut per ichnographiam.

§. IX.

Potest quis agrorum suorum terminos, mota de  
 hisce controversia, omnibus his modis, quos jam no-  
 minavi, probare. Ut ergo de singulis quædam saltem  
 proferamus verba, videtur esse necessarium; sed quia  
 ichnographia, *Ubriss* / imprimis huc spectat, & cæteræ  
 probationum species in omnibus fere occurrunt, ocu-  
 lisque

lisque nostris se repræsentant Commentariis, de hac, omiſſis cæteris, pauciſſima tantum dicemus.

§. X.

Ichnographiam præcedit ocularis inſpectio, & hanc de Poſſeſſione momentanea cognitio. Primum enim Judicis eſt officium, quam primum detulit quipiſiam de finibus querimoniam, poſſeſſionis momentaneæ quæſtionem inſpicere & ex ſummaria cauſæ cognitione alteri tribuere poſſeſſionem, alteri turbationem interim interdicerè. *Conf. Gl. in l. 2. Pand. N. a. 50.* ubi: Das ander iſt/ daß man keine Klage/ ſo ein Warckſcheidung belanget/ von jemand's anhöret/ der Kläger hat denn vorhin des Gutts/ da die Warckſcheidung zugehöret/ eine rechte Gewehr bewieſen.

§. XI.

Terminata de poſſeſſionis ſtatu quæſtione, Jure Romano judex ſtatim decernebat ocularem finium inſpectionem, eamque ob cauſam mittebat agrimenſores. Cujus miſſionis finis erat, aut ſola inſpectio & relatio, annexa arbitratione, aut poſitio ſub ſpe rati, vid. *SICH. in Cod. l. 3. n. 7. finium reg.* Etiam hodiernis moribus, aut petente parte, aut ex officio, adhibitis perſonis, vel in genere, vel ad hunc ſaltem actum jramento obſtrictis, judex talem decernit finium ocularem inſpectionem. vid. *O. P. S. R. ad Tir. XXVIII. §. 2.* Pars ſi hancee deſideret, aut oblatiſ articuliſ probatorialibus & reprobatorialibus, aut intra quatuordecim dies à tempore probatorum publicationis, binnen 14. Tagen von Zeit der publicirten Gezeugniſſe, illam ſimul petere, judex vero, ſi ex officio illam inſtituere velit,

aut in termino productionis testium, aut priusquam definitiva sententia vires consequatur rei iudicatæ, discernere, cujus expensis fieri debeat, declarare, & utroque casu alteram partem ad hancce citare tenetur, vid. *l. c. §. 1.*

## §. XII.

Adhibendi sunt non promiscue quivis, sed artis Agrimensoriæ periti, qui etiam Finitores dicti, & Socii Arvales, nobis *Zeld-Messer / Stein-Seger / Umgänger* &c. & PLATO eos nominavit *Polit. l. VIII. ἀγρονόμους, διαστάσι συντάσσας, καὶ ἐπισημόνους.* Quorum tanta apud Romanos erat Autoritas, ut à responso illorum Judici recedere non liceret. Ratum erat, quod renunciaverant. De usu moderno Agrimensorum, vid. OETTING, qui singularem *de toto finium regundorum argumento conscripsit librum.* Differunt ab hisce Commissarii, qui impetrari solent ad ocularem finium inspectionem, & arbitrium faciendum, & qui opera mensorum uti solent. vid. RVLAND. *de Commiss. P. 1. l. 4. c. 20. & P. 2. l. 6.*

## §. XIII.

Notissima quidem alias est regula: plures testes anteferuntur paucioribus; fallit tamen in oculari inspectione, à perito facta mensore, quandoquidem tum per solos testes res probari nequit, uti FACULT. WITT. *pron. Mens. Octob. 1700. vid. BERG. Oecon. pag. 1064.* Quam necessaria quandoque adhuc hodie ocularis sit inspectio, ex finium diversitate & tam variis illorum speciebus, quæ novioribus sunt inventæ temporibus, patet. Nam, quamvis de ordinandis aut constituendis nulla sit contentio, tamen de constitutis inter sese dignoscendis,



dis, cujus sint generis, & quem juris habeant effectum, inspectio necessaria. SCHILT. Exerc. adff. XX. Tb. 14.

§. XIV.

De SIGNIS, quæ qualibet finium species præ se ferunt & ex quibus discerni à se invicem possunt, quod nempe FINIVM COMPASCVALIVM, Trifftz und Fluhrz Steine/ signum sit caput bovinum, quod LIMITES TERRITORIALES, Landz Gränzen/ & JURISDICTIONALES, Gerichts-Gränzen/ Domini territorialis vel jurisdictionalis referant insignia, quod SAXA & arbores CRUCE PLERVMQVE signentur, quod saxis apponantur LAPILLI TESTES, CARBONES &c. supra hinc inde primum diximus: observandum tamen, quod hæc signa peculiaris & ex parte quoque secreta, quæ Agrimensores habent, pro Provinciarum varietate valde variant, id quod SICVLVS FLACCVS de condit. agror. quoque inculcat, inquit: maxime intuendæ sunt consuetudines regionum, & ex vicinis exempla sumenda, omniaque diligenti cura exquirenda sunt, ut secundum consuetudinem regionum, & terminorum fidem, consentiant fines.

§. XV.

In ICHNOGRAPHIA tandem ipsa conficienda diligentius agrimensores observent omnia, quæ observatu digna sunt, chartæ statim, adhuc stantes in ipsis finibus, de quibus orta controversia, minutissimas etiam mandent, quæ ad rem faciunt, circumstantias, cum minima circumstantia sæpissime totam rem mutare queat, ne oblivione agrimensorum maxima pars sentiat damna, consinium, quantum fieri potest, describant agros, ex illa præpræmissa parte, ubi limites controversi, quæ signa hinc inde deprehenderit, si artis id per-

permittant regule, exprimant, & ut paucis me expediam, quid officium & juramentum, quod præstiterunt, involvat, secum sedulo perpendant, ichnographiam præterea confectam Judici, ut inserat illam Actis, tradant.

§. XVI.

Contra Mensorem, qui falsum modum dolo vel culpa lata renunciavit, datur actio in factum ex edito si mensor falsum modum dixerit, ad præstandum læso id, quod interest. L. 3. §. 1. & tot. Tit. ff. si mens. fals. mod. dix. Nota de agrimensorum dignitate THEODOSII ET VALENTINIANI Constitutio, quæ extat apud JULIUM FRONTINUM: Ope atque auxilio nostræ Clementiæ de Magistris agrorum & Geometriæ vel finium regundorum, vel maxime de discipulis eorum curâ magnâ sancimus, ut spectabiles scribantur, & usque professi fuerint, clarissimi scribantur. Quia igitur Romani non credebant, inter tales personas, in tali constitutas dignitate, esse locutionem conductionem; neque civiliter h. e. ex contractu civili eos obligari putabant, sed magis operam beneficii loco, quemadmodum à cæterarum artium liberalium Professoribus, præberi, & id, quod datur eis, ad remunerandum dari, & inde honorarium potius, quam mercedem appellari. Sed nostra in Republica cum mensores agrorum non in tali sint constituti dignitate, qua apud Romanos, nec tanta sint instructi Actis Mathematicæ scientia; non video, cur non teneantur ex locato conducto, civiliter etiam obligati, quorum dolo aut lata culpa officium judicis, denunciato crimine, implorare licet, ut non modo damnum resarciant, sed insuper arbitrarie punian-



TURBRUNNEM. ad L. 4. ff. si mens. fals. mod. dix. n. 4. Verum enim vero cum generaliora Locati-Conducti Principia, de quibus passim in Commentariis, huc quoque recte applicari queant, sicque, ut illa apponamus, non videatur necessarium, omnibus procul remotis ambagibus, nos statim convertemus ad

## CAP. IV.

### DE OBLIGATIONE FINES TURBANTIS ET JURE TURBATI AC REIPUBLICÆ.

#### §. I.

**J**US & obligationem, ut correlata, considerari notum. Sicuti igitur ex legibus divinis pariter ac humanis, quippe quæ omni modo finium prohibent turbationem, nascitur obligatio, qua quilibet confinium tenetur ad fines tuendos, & turbatos restituendos: ita huic obligationi altera ex parte respondet jus, quo non solum læsus consequitur facultatem finium tuitionem, turbatorumque restitutionem à vicino exigendi, sed etiam Respublica, ob legum transgressionem, turbatorem puniendi.

#### §. II.

Obligationi ex lege accedit subinde factum confinis, quod non unius conditionis est. Nam quandoque clam, ac dolo turbat, quod crimen est; quandoque ex errore occupantis & incuria domini. Ex utriusque generis factis oritur, ex una, obligatio personalis, & ex altera parte inde dependens actio ejusdem est naturæ. Si tamen præter fines etiam alieni fundi

D

pars

pars, five loca dicuntur occupata, jus in re persequimur, rei que nostræ partem vindicamus, sicque obligatio & actio mixta oritur. *Finium regundorum actio in personam, licet pro vindicatione rei est.* L. I. ff. fin. reg.

§. III.

Inter Reges, Principes aut civitates independentes si oriantur controversiæ, harum decisio committitur aut arbitris electis, dum in rem præsentem mittuntur, inque horum sententiam vel compositionem promittitur, aut, si ab adversario priori remedio locus denegatur, armis. Quoad possessionem, consultum omnino est, ut inter se conveniant, ut uterque abstineat à possessione, donec proprietatis quæstio decisa. Dependentes ab Imperio Romano-Germanico quod attinet Principes, arbitrorum quidem etiam hodie prima est instantia, postea vero, his ad finem perducere controversiam non valentibus, aut in Senatu Aulico Viennæ, aut in Camera Imperiali, quæ in Urbe Wetzlar suam posuit sedem, tota lis est decidenda.

§. IV.

Quoties non de Crimine & dolo agitur adversarii, primum Judiciale remedium est actio finium regundorum. *Finium vero regundorum actio in personam est, licet pro vindicatione rei est, uti PAULVS ajit L. 1. ff. finium regund. sive est actio mixta, que datur inter eos, qui confines habent agros, ad turbatos fines restituendos, & præstandum id, quod interest.* Dixi est actio mixta. Ex turbantis enim facto turbativo obligatio oritur personalis, quia vero raro de solis finibus, sed plerumque

que etiam de locis oritur controversia, quo nomine rei competit vindicatio, mixtam hæc actio sortitur naturam. Porro dixi: datur inter eos, qui confines habent agros, quia *pertinet hæc actio ad prædia rustica, quamvis ædificia interveniant*; uti PAULVS loquitur L. 2. ff. fin. reg.

§. V.

Casum proponam: Titius contra Cajum, qui fines turbavit prioris, experitur actione finium regundorum, sed, non expectans litis eventum, sicque pendente adhuc lite rem petitam proprio occupat casu. Quæritur ergo, quid hoc in casu obtineat? ut contra Titium pronunciemus, eumque, quamvis victor postea existat, dominio illius loci, de quo controversia, excidere, si vero victor recedat, ad locum litigiosum possessori non solum reddendum, sed etiam de suo adhuc tantum, quantum occupavit, restituendum, quod fisco infertur, teneri, dicamus, adducimur & L. 4. C. fin. reg. ubi Imperator Constantinus ita sanxit: *si constitucrit, eum, qui finalem detulerit questionem, priusquam sententia terminetur, rem sibi alienam usurpare voluisse, non solum id, quod petebat, amittat; sed, (quo magis unusquisque contentus suo, rem non expetat juris alieni) qui irreptor agrorum fuerit, in lite superatus, tantum agrum modum, quantum adimere tentavit, amittat, & L. 7. C. unde vi. Ubi, actorem dominum per sententiam postea constitutum, possessionem, quam abstulit, restituere possessori debere, & dominum ejusdem rei amittere; si vero alienarum rerum possessionem invasit, eum non solum ad eam possidentibus reddendam, verum etiam ad æstimationem earundem re-*

*rum restituendam teneri, ab Imperatoribus VALENT. THEOD. & ARCADIO, invenitur sancitum.*

§. VI.

Nostris quid obtineat moribus, & an adhuc hodie privatio Juris atque alteri tanti restitutio inveniat locum, valde inter Doctores controvertitur. PEREZ *in tit. Cod. fin. regund.* & CARPZ. 3. 33. *def. 8.* statuentibus: Juris privationem non esse in usu, sed multa arbitraria, fisco applicanda, finium coerceri violentos invasores. BRUNNEMANNO *ad L. 7. C. unde Vi.* in contrariam abeunte partem, & secundum leges Romanas judicatum in Saxoniam fuisse testante. Cujus sententia mihi quoque videtur verior, quia jus Civile Romanum generatim in nostrâ admissum fuit patria, ubi ergo nullæ in contrarium adsunt leges, secundum illud omnino judicari, est notum. add. BERGER. *Oecon. pag. 784. not. 2. § in Evolut. ad Tit. ff. quod Legat.*

§. VII.

Si ex delicto & dolo, aut vi quis turbat fines, & alienum invadit, actiones inde oriuntur Criminales, aut ordinaria scilicet, aut extraordinaria, quæ utræque ex lege Agraria suam trahunt originem. Prior a JULIO CÆSARE, ante Monarchiam lata actio, competit cuilibet ex populo, contra illos, qui dolo terminos moverunt ad 50. aureos pro terminis singulis, quos ejecerint, locove moverint, solvendos. Quæritur hoc loco non immerito, cuinam hæc sit applicanda pœna? an actori, an vero potius fisco? Ut statuamus partem dimidiam actori relinquendam, alteram verò fisco inferendam, adducimur partim verbis legis agrariæ, a SCHILF.

SCHILT. *Exerc. ad ff. XX. Th. 26. adductis:* Eam pecuniam. ab eo. deve. bonis. ejus. primo. quoque. die. exigito. ejusque. pecuniæ. quod. receptum. erit. partem. dimidiam. in. publicum. redigito. Partim argum. *L. 25. in fin. ff. de SCro Sil- lan. & L. 12. pr. ff. de V. S.* Quod nostris quoque ob- tinet moribus, dum emenda, Buße / actori, & multa judici à reo est solvenda. vid. COLER. *Dec. 145. 6.*

§. VIII.

Quæ pœna pecuniaria Germanicis quoque Gen- tibus, antiquissimis jam temporibus, fuit nota. Sic Allemanni pœnam statuere pro singulis terminis, signis, vel notis, XIV. solidorum; cum pugna partium seu cam- pi judicio. Suevi XXX. solidorum; ita enim ab illis est sancitum: *Gråbt er Mark- Steine aus, man soll ihm Haut und Haar abschlagen, oder er soll es lösen mit 30. Schilling.* Et Jure Saxonico *Land- N. l. 2. art. 28.* constituitur: *Der Steine ausgråbet, die zu Mark- Steinen gesezet sind, er muß dreyßig Schilling (zur Buße) geben, scilicet parti pro singulis lapidibus, arbo- ribus, &c. 30. solidos, & præter hosce, 60. solidos Judici,* vid. COLER. *Decis. 146. num. 6. & num. 13.* Hodienum quatuor aut sex sexagenarum pœnam dictari, ex CARPZ. *Quæst. Crim. 83. 72.* constat.

§. IX.

Præter hancce ordinariam actionem popularem ex *lege Agraria*, etiam actio vel accusatio extraordinaria ab Imperatore HADRIANO est introducta, qua finium violatores pro conditione personarum & factorum,

aut relegatione temporali, aut perpetua, aut condemnatione ad opus publicum, aut castigatione, aut verberatione *L. 2. ff. de term. mor. coercentur.* Quam animadversionem extraordinariam etiam IMPERATOR ALEXANDER *L. 1. C. de accusat. § inscript.* confirmavit.

§. X.

Tempora quod attinet nostra, hæc extraordinaria actio nequaquam abrogata, sed potius à CAROLO V. IMPERATORE in *Ordinat. Car. Art. 114.* confirmata est, secundum quam poena extraordinaria ad fustigationem usque extendi potest. Imo si quis fines Imperii dolose corrumpat, crimen læsæ Majestatis committit, & hinc capite est plectendus. vide STEPHAN. ad *Consuet. Caroli art. 114.* confer. *ejusd. Proxim. n. 12. & 13.*

§. XI.

An cum civili finium regundorum actione Criminalis hodie queat cumulari, oritur adhuc dubium? Qui pro negantium stant partibus Doctores, & notum Brocardicum Juris: *Civilis & Criminalis actio non potest cumulari,* & quod *L. 36. pr. L. 53. ff. de obl. & act. L. 72. §. 8. de Legat. 2. cumulatio actionum plane sit prohibita,* adducunt. Affirmantes vero tam supra allegato Brocardico hocce occurrunt: *actionum cumulatio regulariter est concessa,* nisi 1) actio una tollat alteram, 2) sibi invicem contrarientur, & 3) altera alteri exceptionem rei judicatæ afferat; tam leges allegatas quod attinet, dicunt: jure Romano quod non fuerit concessa actionum cumulatio, non aliud fuisse in causa, quam jus Flavianum, seu Formularium, quod volebat actiones

nes



nes concurrentes una proponi formula, cum vero hoc Germanorum moribus nunquam fuerit cognitum, neque in Germaniam receptum, sicque cesset hodie prohibitaë cumulationis causa, & ipsam prohibitionem cessare atque ita cumulationem permitti necesse esse.

§. XII.

Quare secundum SCHILT. exercit. 20. Thes. 40. petitio libelli ita potest concipi:

P. P.

Kläger bittet zu erkennen / daß Beklagter ihme das von seinen Grund und Boden bößlich zu sich gezogene Stück / nebst Erstattung aller Schäden und Unkosten zu restituiren / die verruckten Wahl-Steine an vorigen Drth setzen zu lassen / auch vor jeden derselben 50. Rthlr. halb dem gemeinen Fisco und halb dem Kläger zu geben schuldig / oder da er so viel nicht in Vermögen / mit Landes- Verweisung / oder anderer ernstler Bestrafung den Rechten nach zu belegen.

Et quidem hac tenentur extraordinaria coercitione non tantum finium turbatores & violatores, sed etiam illi, qui, finalium quæstionum obscurandarum causa, faciem locorum convertunt, ut ex arbore arbustum, aut, ex sylva novale, aut, aliquid ejusmodi faciunt. L. 3. §. 2. ff. de term. mot.

§. XIII.

Dixi §. 7. quod turbator finium teneatur solvere 50. aureos pro singulo signo, seu termino, quem movit loco, & §. 8. de solidis, Schillinge / quædam fecimus verba,


verba, ut igitur paucissimis, quantam & aurei & solidi, Schillinge/ supra commemorati, efficiant pecuniae summam, consideremus, videtur necessarium. Et quidem solidos, Schillinge/ quod attinet, duo sunt Schillingorum species, major, Schilling: Groschen, & minor, Schilling: Pfennig. Major denotat, quod hodie einen Gulden vocamus. Minor ein Schilling Pf. vero 16. Pf. in se continet, & de hisce minoribus loquitur §. 8. allegatum *Fus Saxonicum*, efficiuntque ita 30. Schillinge 40. Gr. Quoad aureos, 50. efficiunt festertia 5. scutatos, seu aureos Rhenanos 125. Unciales, seu Thaleros Imperiales 162. cum dimidio, vid. *GRONOV. de Pec. Vet. l. 2. c. 5.*

§. XIV.

Plura quidem adhuc de hacce materia uberrima dicenda restant, sed ne benignitate abutamur Lectorum, paucis hisce, *Deo Clementissimo* assistente, quantum propter ingenii mei tenuitatem fieri potuit, pertractatis, sistimus hic gradum, nostrisque verbis, quæ fecimus de **FINIBVS**, imponimus

**FINEM.**






ULB Halle  
005 355 63X

3







Seite 325 ohne Kustoden!  
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA

(22)  
XIX.  
1728  
86

DE  
**FINIBVS,**

QVAM  
*ANNVENTE AMPLISSIMO JCTORVM  
ORDINE*

IN ALMA ET PER-ANTIQA ERFFVRTHENSI  
ACADEMIA

EIVSDEMQUE

AVDITORIO COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS

DIE XXX. APRILIS ANNO M DCC XXVIII.

**PRO GRADV DOCTORALI**

ET SVMMIS IN VTROQVE JVRE HONORIBVS AC PRI-  
VILEGIIS MORE MAJORVM LEGITIME CONSE-  
QVENDIS

PVBLICE DEFENDET

**CHRISTIAN. CAROLVS OTTO,**

*Mühlthropio Variscus,*

ADVOC. SAXON. ET NOT. PVBL. CÆS.

ERFORDIÆ,

Litteris GROSCHIANIS, Acad. Typogr.